



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De illusionē Satanæ, qui patrem eius in fossam detrusit. XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

838 DE VITA B. LIDEVVIGIS VIRGINIS
percepta paupertate Petri clarissimi viri de genere militari, pia
compafsione motus, propter reuerentiam fanctitatis filie eius,
iussit eidem, vt à se fiducialiter peteret, quantum ipsi pro annuis
expensis & necessitatibus sufficere aestimaret. Qui simpliciter
respondens, duodecim coronatos Francia postulauit. Miratus
dux ipse modestiâ petentis, iussit ei singulis annis eosdē corona-
tos dari, asserens etiam se paratum duplicatos tribuere, ne tanta
penuriâ diutius subiaceret. Qui primò quidem fideliter soluti
sunt: sed postea tepidius ei dati, quia gratia humana citò deficit
in donando. Beatus ergo homo, qui thesaurū habet in cælo. Ac-
cepta autem elemosyna à præfato Duce VVilhelmo, Petrus ex
beneficio collato non elatus, sed Deo gratus, visitabat sedulo ec-
clesiam, deuotis orationibus, prout melius poterat, intentus, vi-
ctu quotidiano ac vestitu moderato peroptimè contentus.

C A P V T XII.

De illusione Satana, qui patrem eius in fossam detrusit.

1. **C**umque deuotus iste Petrus præ senio tâta debilitatis esset,
quòd vix incedere valeret, qui leui occasione frequenter
cadendo læsus domum rediret; non tamen propter læsuras & lap-
sus, à visitatione ecclesie abstinuit: sed quasi iuuenilem ætatem
habens, etiam contra voluntatem filie suæ, feruenti deuotione
attractus templum Dei visitauit. Sollicita enim erat filia sancta
de paterna salute, plus dolens & metuens de eius periculo, quàm
de propriæ ægritudinis flagello.

2. Quadam igitur vice in vigilia Pentecostes egressus, vt au-
diret vespertas, obuium habuit diabolū in specie hominis sibi no-
ri apparentis, prout a foris videbatur. Qui decipere simplicem vo-
lens, inuitauit vt paululum extra ciuitatem pariter irent spatia-
tum, quasi satis tempestiuè redirent ad horam vespertinam. Cū-
que ille ignorans, quòd Satanas esset, suadenti consentiret, ve-
nerūt simul extra portam ciuitatis ad locum Damlaen nomina-
tum. Mox dæmon fraudis suæ nequitias aperiens, subito in Pe-
trum irruit, & ipso nec vidente nec sentiente, in fossam proiecit
& disparuit. Vbi cū mergi inciperet, & qui adiuuaret non adef-
set: diuina prouidentia quidam aurigarius ei notus, præter con-
suetudinem suam eadem via cum curru de agro venit, intrare
volens ciuitatem: viditque Petrum in fossa iacentem, & in nullo
seipsum iuuare valentem. Qui misericordia motus, statim illum
de luto extraxit; & currui suo læsum imponens, in ciuitatem sal-
uum reuexit. Statimque rumor falsus inopinatè aures cunctorum
inuasit, quasi Petrus submersus esset & mortuus. Quæ res aures
filie

filia eius in tantum contristauit, quòd postea eandem vigiliã ob miseriam patris sui, non sine graui mœrore recordari poterat. Estimauit enim hostis dolosus grandem se cladem virgini intulisse, si super dolorem vulnerum eius dolorem patris eius addidisset. Sed adiutor in tribulationibus Deus ac mœrentium consolator, in breui tempore laborem patris conuertit in requiem, mœrorem in gaudium, inopiam in diuitias cœlestes. Nam per B. Virginem consolatus, felici ac celeri sine, de huius seculi ærumnis & diaboli dolis est ereptus.

CAPVT XIII.

De obitu patris eius, in profesto Conceptionis beatæ Mariæ Virginis.

I. **N**te paucos dies conceptionis B. Mariæ Virginis, præsciuit deuota virgo Lidia filia Petri, ex hoc mûdo patrũ suum migraturum. Dicebat namque se à patre suo secretiũs audiuisse, quòd B. Virgo Maria sœdus societatis cum eo inierat; atque spondidisse, quòd cum circa hanc festiuitatem, de presenti seculo vocaret. Quod & ita factum est, sicut prædixit. Præmonuit ergo virgo fidelissima Dominum Ioannem presbyterum, qui ad eam consilij gratia aduenerat, vt eodem die ad locum in Ouderschic ad celebrandum iter arriperet; ne in crastina die circa funus paternum aliqua negligentia contingeret. Post hæc verba, mors patris in profesto Conceptionis B. Virginis subsecuta est; secundum visionem & Prophetiam prius reuelatam.

2. Post cuius mortem, cum virgo paternæ præsentia solatio temporali viduata, de salute patris fuisset sollicita & certificata; peruersi dæmones omnium bonorum inimici, quandoque eam in tantum contristauerunt, asserentes quòd patrem eius secum in statu damnationis haberent. Quapropter ipsa inconsolabiliter flere cœpit, quasi verum fuisset, quod à dæmonibus audierat. Vnde & à domesticis interrogata, cur in tantum lachrymaretur, respondit: Ego scio, quòd cum patre meo valde bene agitur, & tamen dæmones dicunt, quòd sit damnatus. Quadam igitur vice, cum ab Angelo sancto ad amœna paradisi gaudia duceretur, dæmones iter eius obsidentes, quendam dæmonem transfiguratum in similitudinem patris eius illudentes & affigentes, ostendebant ei dicentes: Eia eia, ecce habemus patrem tuum. Tunc illa cognoscens factum diabolicum, esse illusionem vanam non veritatem, dicebat non hunc fore patrem suum. Statimque illis vt fumus euanescentibus, virgo Angelo duce iter suum lata persiciebat.